ipſi pollicitus erat. Sed adhibitis medicamentis acribus, auctus eſt dolor, aucta & febris, inflammatio, vigiliæ, cibi faſtidium & syncope vt deindè paucos poſt dies è vita diſcederet. Accerſitus itaque denuò cum dicto Medico vt diſſecaremus cadauer, totum collum matricis planè cancroſum & exulceratum offendimus.

OBSERVATIO LXIIII.

Ex ſuppreßione menſium, inflammatio, & gangræna colli matricis.

ANno 1596. Honeſtæ cuidam matronæ Geneuæ menſtruis laboranti, neſcio quo pauore ſubitò correptę, illicò menſtrua fuêre ſuppreſſa, Vndè mox inflammatio & dolor vehemens exortus eſt. Ego poſt dies aliquot vnà cum doctiſſimo viro Dom. ESAIA COLLADONIO Doctore Medico, & in Gymnaſio Geneuenſi Philoſophiæ Profeſſore celeberrimo vocatus, collum matricis liuidum, & gangræna correptum deprehendimus. Febris vehemens, & syncope frequens aderat. Adhibuimus nonnulla, ſed abſque fructu; obiit enim vndecimo die morbi.

OBSER-